



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 15. Mors S. Emmeliæ, S. Cæsarii, & S. Gorgoniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](#)

§. XV.

Sæculum IV.
A. C. 370*Mors S. Emmelice. S. Cæsarii.
Et S. Gorgoniae.*

Episcopis defunctis Successores electi *Greg. Nysf.*
fuerant; interim S. Basilius S. Euse- *vita S. Macr.*
bio Samosateno obitum Matris suæ S. Em- *p. 186.*
meliæ per litteras nuntiavit; mortua est *v. Pagi. an.*
annis plena in Monasterio, quo cum filia *379. n. 8.*
sua S. Macrina secesserat. Tunc non plu-
res, quam duos liberos apud se habebat,
S. Macrinam ex omnibus primogenitam,
& S. Petrum, postea Episcopum Sebaste-
num, liberorum suorum decimum, &
ultimum; cum juxta lectum ex utroque
latere starent, utramque prolem altera
manu prehendens, dixit: *Domine! offe-* *Greg. ibid.*
ro tibi secundum legem tuam liberorum *p. 201.*
meorum primitias, & decimas. Sepulta *Mart. Rom.*
est penes Maritum suum in Ecclesia qua-
draginta Martycum septem, vel octo sta-
dia, id est, quartam leucæ partem a Mo-
nasterio distante. Ecclesia trigesima Maji
eius colit memoriam. Matris mortem *Basil. ep. 7.*
S. Basilius majori luctu prosecutum fuis- *ad Euf. Sam.*
se, quam tanti viri ætatem, & sanctita-
tem deceret, non nulli arbitrati sunt.
Tunc a morbo convalescebat, quo ferme
ad extrema deductus fuerat, atque sum-
mæ hiemis rigor discrimen auxerat. Sta-
tus etiam in quo Dei Ecclesiam confli-
R. 4 *ctari*

Sæculum IV. etari noverat, nihil solatii, sed graviorem
A. C. 370. luctum ægrotanti creaverat.

Greg. or. 10. Circa idem tempus S. Gregorius Næzianzenus fratre suo Cæsario, & Gorgia Sorore orbatus est, quos Ecclesia Sanctis accenseret. Cæsarium, honorifice aulam Joviani revocatum, Valens Imperator Quæstorem, seu ærarii in Bithynia, ubi habitabat, Præfectum constituerat; hoc fratris honore non modo non delabatur S. Gregorius, sed negotiis sacularibus implicitum dolebat, quibus ut si expediret, fraterne hortabatur; bonum consilium sequi cunctantem supervenientem casus impulit, nempe terribilis terræ mo-

Id. Carm. tus, quo reliqua exstantia urbis Nicæa p. 34. undecima Octobris anno 368. subversa sunt.

Cæsarius ferme solus inter viros omnes urbis præcipuos salvatus est, vorum tamen bonorum suorum partem perdidit, & ipse ruinis ita involutus est, ut res prodigo simillima fuerit, quod leviter tantum vulneratus, evaserit. Tunc ergo totum se Deo dedere statuit, at modico post tempore humanis excessit, cum paulo ante Baptismo fuisse ablutus; nec

Or. 10. p. 173 uxorem habens, nec liberos, bona sua reliquit pauperibus. Fratri S. Gregorius oratione funebri coram Patre, & Matre parentavit. Ecclesia Græca memoriam Cæsarii nona Martii, & Latina 25. Februarii celebrat. Soror eorum S. Gor-

S. Gorgia non diu supervixit, in cuius **Sæculum IV.**
etiam funere S. Gregorius peroravit, at- **A. C. 370.**
que defunctæ laudes congrue celebrans,
perfectum virtutis Christianæ exemplum
omnibus nuptis exhibuit; tantum Gor- **Or. II. p. 181**
goniæ erat collectionis, & modestiæ stu- **182.**
dium, ut vel subrisisse crimen putaret;
oculos, auditum, sensus omnes custodie-
bat. Muliebrem cultum, cuius fœminæ
studiosissimæ sunt, negligebat, sed cura-
bat decorum Ecclesiarum. Quamvis ma-
gna esset ingenii capacitate, prudentia
tanta, ut omnes suæ Provinciae consilio
adjuvaret, atque de SS. Mysteriis Reli-
gionis partim ex librorum sacrorum le-
ctione, partim propriis meditationibus
profundam scientiam acquisivisset, silen-
tium tamen amabat, & summa industria
opera sua bona occultabat, magiscupiens
sancta esse, quam videri. Domus ejus
omnibus virtutem amantibus patebat.
Reverenti in Sacerdotes erat animo, af-
flictis compatiebatur, pauperibus, præ-
fertim viduis, largissime necessaria ero-
gabat. Fervide, attente, & frequenti
genuflexione orabat, tota lacrymis per-
fusa; orationi jejunia, & vigilias junge-
bat, quibus omnibus jugis Psalmodia ad-
denda; Non ante tamen quam versus
vitæ fine in baptizata est, sed antequam
moreretur, summo solatio fuit, quod ma-
ritum, filios, nepotesque eadem gratia a

R 5 Deo

p. 183.

Sæculum IV. Deo donari vidisset. Tanta fuit in Deum
A.C. 370. fiducia, ut, cum aliquando periculose ce-
p. 185. cidisset, ne modestia læderetur, ope me-
 dicinæ uti recusaverit, factumque, ut se-
 ne humano auxilio, & non sine prodigiis
 sanaretur. Alio tempore gravi morbo
 afflicta, medicis de ejus salute desperan-
 tibus, caput altari imposuit, cœpitque
 rare cum clamore, & copiosis lacrymis
 ex quibus, iis admixtis, quæ de Antipy-
 pis pretiosi corporis, aut sanguinis, id est
 Sacrae Eucharistiæ, reservare potuerat
 unctionem sibi composuit, & ecce! illa
 co incolumis in domum suam rediit. Ho-
 autem antequam baptizata fuerit, con-
 tingere non potuit, cum nunquam nisi
 Fidelibus baptizatis Eucharistiam præbe-
 re mos fuerit. (*) Talis fuit vita S. Go-
 goniæ, cuius memoriam Ecclesia non
 Dec. colit.

§. XVI.

*Monachi Nazianzeni cum Episcopis
 reconciliantur.*

Tunc temporis S. Gregorius Nazianze-
 nus cum Patre erat, senectutis ejus
 fulcrum, atque, cum esset Presbyter, pa-

(*) Hic iterum Protestans noster decem-
 ness, in quibus de Sacra Eucharistia bis men-
 recurrit, pagina sua 265. omisit. Duos alios e-
 rores fileo.